

promptum ad obediendum, esse destitutum; eadem vero inunctum, cum prompte et absque omni renitentia viam mandatorum Dei currit cum Davide, Psalm. CXVIII. Angeli boni a malis inter alia hoc discrimine discernuntur, quod illi Dei voluntatem promptissimo semper animo exequantur; mali vero invito, cum murmure et indignatione. Raphael, quem Deus misit ut esset comes Tobiae in foro stetit praecinctus et paratus ad ambulandum, seipsum quasi Tobiae offerens in comitem itineris, Tob. V. unde bene se appellavit *Azariam*, hoc est, *auxilium Dei et filium Ananiae*, hoc est, *nubis Dei*, quia in auxilium Tobiae nubis instar promptissimus advolavit. At e contra daemon ille Marci I. et Lucae IV. quem exire ab obsessio Christus jussit, exclamans voce magna et discerpens hominem, projecit in medium, ut ostenderet quam invitus et indignabundus Christus pareret. Quod ergo discernit bonos angelos a malis, hoc idem non obscure discernit filios Dei et gratiae a filiis tenebrarum: promptitudo scilicet ad parendum Deo.

Non minoris momenti alterum indicium est, si quis divinae gubernationis singularia beneficia constanter in se experiatur. Tametsi enim Deus etiam peccatores et tepidos suo tempore excitat stimulatque beneficiis, castigat flagellis, hortaturque ad frugem: multo tamen magis pluribusque modis id praestat justis, adeo ut S. Ambrosius, l. IV. in Lucam dicat: *Dominum dormire tepidis, vigilare perfectis*. Patet in primis in eo, quem diximus Tobia, cui dedit socium itineris unum e septem angelis, qui stant coram ipso, ut eum custodiret in omnibus periculis, praeveneretque benedictionibus: patet in Abrahamo, Elia, Daniele, Joanne Baptista in deserto, Paulo eremita, aliisque innumeris, quorum Deus majorem habuit curam, ut eos aleret, protegeret, solaretur, quam multorum millium impiorum. Unde beatus Laurentius Justinianus de triumphali Christi agone, cap. XV. ait: « In tribulatione Deus justos comitatur, ut illos in praesentiarum eripiat et glorificet in futuro: comitatur ipsos in negotiis, ne delinquant; in periculis, ne cadant; in dubiis, ne errent; ne hujus vitae consolationem amittant. » Qui ergo haec in se constanter experiatur, ne ille gratulari sibi potest de invento apud se thesauro.

V. Alexander Halensis celeberrimus doctor tria alia signa adducit, III. p. q. LXXI. Primum, est lumen, quo replentur justus, ut mysteria divina et agenda omnia, seipsum denique plenius possint cognoscere. Scimus enim ubicumque habitabant filii Israel in Aegypto, ibi lucem fuisse, tenebras vero apud Aegyptios, Exodi X. eosdem etiam a co-

lumna ignis ductos per desertum, Exodi XIII. Hinc quandoque sancti viri, alioquin parum docti, plus vident et annuntiant de rebus altissimis, quam doctissimi alii.

Alterum, est laetitia et gaudium, quo replentur corda justorum. Non enim habet amaritudinem conversatio eorum, sed laetitiam et consolationem. Sane Sanctus Antonius ex animi laetitia dignoscatur ab aliis fratribus; quanto magis noscitur justus ab injusto per eandem viam?

Tertium, est pax et tranquillitas cordis, carentis omni remorsu aut conscientia alicujus peccati mortiferi. Haec enim tranquillitas sequi solet adventum Spiritus s. quia: *In pace factus est locus ejus*, Psalm. LXXV. Sic bona disciplina et tranquillitas in domo indicat praesentiam boni patrisfamilias; dissolutio et tumultus, ejusdem absentiam.

VI. Andreas Vegas praestans theologus, in l. de justificatione tria alia suppeditat. Primum, est despicientia mundi et honorum ejus, honorum, voluptatum, opum, ac desiderium caelestis patriae. Qui enim spernit vilia bona sibi forte oblata, hoc ipso indicat se possidere longe praetantiora; et qui talia habet, spernit vilior. Ita Abraham, quia Deum secum habebat, sprevit oblata sibi munera a rege Sodomorum, Genesis XIV. *Ne dicas*, inquit, *ego ditavi Abraham*, quasi dicat: *Nolo divitias, quae ab homine veniunt: Habeo Deum, qui innumera mihi suppeditet bona, gratiae innitor*, ait ibi Chrysostomus.

Alterum est: *Dolor de peccatis omnibus contra Deum commissis*. Haec est bulla illa et attestatio divina de remissis peccatis, quam petiit a B. Catharina Sennensi sibi impetrari confessarius ejus Raymundus. Quando enim oblata ejus menti fuit insolita peccatorum suorum consideratio, adeo ut praenimio dolore lacrymarum vim profunderet, ac rugitus ederet, timeretque ne pectore rumperetur; tum ait illi virgo, hanc esse bullam et testimonium divinum quod petierat, ut in vita Sanctae Catharinae Sennae. 29. april.

Postremum: « Propositum vitandi omnem Dei offensam, et servandi per omnia cuncta divina mandata. Hi probalissimam sane suae justificationis conjecturam habent, et merito toto pectore totisque praecordiis de tanto et tam praecellenti beneficio possunt intro se exultare, » inquit Vegas. Certe firmum conceptae pietatis ac virtutis propositum plurimum valet ad perseverandum in pietate et virtute, sicut iudicium sententiae definitivae semel pronuntiatum et in tabulis conscriptae, stabiles et fixae manent: quod vel Pilatus ostendit, qui semel scriptam iudicii sententiam ut mutaret, nullis Judaeorum clamoribus adigi po-

tuit; qui tamen prius eorum postulatis cesserat: *Quod scripsi, scripsi*, inquit: quod jam relatum est in tabulas, mutare nefas est. Quod si igitur nos pari animi robore mentem obfirmavimus, ad persistendum in aequitate signum est, ab ea nos nullis machinis et molitionibus facile esse dimovendos.

Denique, si adhuc aliquod signum desideratis, Christi mores et vitam in vobis representate. Pomum odoriferum in sacco reclusum prodit se odore suo: ita Dei gratia in corde recondita, per bonam vitam tuam. Hinc apostolus, II. Cor. II. *Christi bonus odor sumus*. Unde nisi a Christo ejusque gratia in corde reclusa? Ergo Christophori simus (cujus sancti festum heri celebravimus) semper Christum ejusque vitam in nobis circumferentes: et sciemus quod filii Annae et in gratia Dei simus. Sic thesaurum invenimus, sic domini evademus, et omni gaudio perfuemur, hic in gratia, ibi in gloria.

CONCIO IV.

QUIS MODUS SERVANDUS IN UTRAQUE FORTUNA.

I. Qui in dextera sedent, beneficium agnoscant, et Deo gratias agant. — II. Qui in dextera sedent, non se extollant. — III. Qui in dextera sedent, moderate utantur fortuna sua.

THEMA.

Mulierem fortem quis inveniet? Prov. XXXI.

Merito Ecclesia de Sancta Anna legit et intelligit, quod Proverbiorum XXXI. dicitur: *Mulierem fortem quis inveniet?* Quis enim non dicat, Sanctam Annam mulierem esse fortem; quae in suis brachiis (ita enim pingi solet) gestat fortissimas duas proles, filiam Mariam et nepotem Christum? Hic enim idololatriam evertit, mortem vicit, infernum destruxit, Satanam regno exiit, caelum occupavit; illa caput serpentis contrivit: deinde, Anna sonat gratiam. Gratia duplices gestat proles, et ambas ad caelum effert: in dextra eos, qui hic prospera utuntur fortuna, et quidem plurimos; in sinistra, qui adversam patiuntur, longe adhuc plures: adeo ut nemo de hac matre queri possit, quamquam attendere debent proles istae, ut ne e matris hujus brachiis culpa sua excidant: *Cadent enim a latere tuo mille et decem millia a dextris tuis*, ait psalmista. Ne hoc fiat, audiamus.

I. Qui in dextera sedent, beneficium agnoscant et Deo gratias agant. Licet enim prosperitas, honor, opes, generis nobilitas, velut res periculose,

passim homines perdant: id tamen non ex natura illarum, sed ex errore utentium accidit. Male enim utentibus plumbum sunt, demergens ad interitum: bene utentibus pennae sunt, elevantes eos ad caelum. In primis enim qui his bonis a Deo muniti sunt, ab innumeris curis et anxietatibus se suosque sustentandi (quae hominem a Dei cultu multum avocant) liberi sunt, remotique a periculo, necessitatis gratia rapiendi, fallendi, furandi; cui subjacent miseri, ut agnovit Salomon Proverbiorum XXX. dicens: *Mendacitatem ne deleas mihi, ne necessitate compulsus, furer et perjurer*. Quemadmodum ergo Adam in paradysum omnibus fuit, ut facilius Deum cole-ret; ita qui in hoc mundo degunt felices, facillime Deo servire possunt.

Deinde, lapidem habent philosophicum ad vendendum lutum in aurum, si nimirum dent elemosynas; quod facere nequeunt pauperes. Possunt ergo divites et magnates, quasi in curru et lectica, sine molestia ascendere ad caelum, si curru suo applicent pauperes, quomodo Sesostres rex Aegypti junxit curru suo reges; jungent autem, si in eos fuerint liberales.

Denique, si et bona quae possident, calcaverint per contemptum, tunc ex iis facient sibi quasi scalam ad caelum. Quod licet etiam suo modo facere possint egeni, non tamen pari merito. Quis enim nescit plus esse spernere opes quae habentur, quam quae non habentur? Unde talibus Sanctus Hieronymus, epist. ad Demetriad. dixit: *Vestri generis est et habere et calcare divitias*.

Vicissim qui in sinistra sedent, habent et ipsi, quod Deo gratias agant, et sibi gratulentur. Nam primo, omnibus spectatis, planior et securior est ad caelum via per adversitatem, quam per prosperitatem. Pauci enim sunt, qui prosperis bene uti sciunt. Unde Psal. XC. dicitur: *Cadent a latere tuo (sinistro) mille, et decem millia a dextris tuis*. Decem ergo in prosperitate pereunt, antequam unus in adversitate. Demonstrari id multis posset, uti exemplo Davidis, qui dum exularet a Saulis aula, oberrans pauper in montibus et alienis, bene sibi attendit ne delinqueret. Factus rex, et quietem ac divitias nactus, in peccatum lapsus est. Hinc tyranni, cum Christianos tormentis superare non possent, blanditiis et voluptatibus aggressi sunt, uti Decius et Julianus, multaque stragem ediderunt. Nabuchodonosor, quamdiu felix erat, Dei contemptor fuit: ubi e regno ejectus miser, in bestiam quasi deformatus fuit, tum agnoscere Deum et laudare cepit. Unde Daniel appellat eum leonem, quae prius alas aquilae habebat; at ubi evulsae sunt ei alae, tum super

pedes stetit ut homo, et cor hominis accepit, Danielis VII. § IV.

Deinde, ad virtutes et scientias capessendas magis idonei et dispositi sunt. Sunt humiles, mansueti, obediētes, laboriosi: unde plerumque plus quam divites proficiunt in studiis et aliis disciplinis. Sic acanthis in spinis vivens, summa cantus amœnitate floret.

II. Qui in dextera sedent, non se extollant, multo minus alios spernant; sed potius se humiliant ac timeant, ne excidant et ad sinistram transferantur. Primo, quia: « Ut in rerum natura, quæ spectatissime florent, celerrime marcescunt (veluti rosæ, lilia, violæ) cum alia durent; ita in hominum vita, quæ florentissima sunt, citissime vertuntur in diversum, » inquit Plin. lib. XXI. cap. I. Notum est a veteribus fortunam rotæ insistentem depingi solitam; cui consonat id Psal. *Pone illos (principes fortunatos) ut rotam, et sicut stipulam ante faciem venti;* et id Proverb. XXI. *Verte impios et non erunt.* Exemplo sunt Adonibezec, Judic. I. Abimelech, Nabuchodonosor, Holofernes, Herodes, Act. XII. Antiochus et alii.

Dionysius junior, ut scribit Ælianus, l. VI, var. histor. c. XII. humili loco natus, astu tyrannidem Syracusanorum ac Siciliæ paravit, imperiumque optime constructum habuit, scilicet naves non pauciores quadringentis, pedestres copias ad centum millium hominum, equitum novem millium. Civitas Syracusana portubus et mœnibus optimis erat instructa, omnique bellico apparatu, frumento ad centum millium medimnorum. His rebus confidente, ad amantem firmatum imperium habere se putabat; sed deceptus miser ipse primum fratres suos morte affecit, vidit etiam filios suos crudelissime mactari, pudorem filiarum eripi, atque deinde nudas trucidari. Breviter, nemo ex ejus propagine sepulturam justam adeptus est: nam et alii vivi combusti sunt, alii dissecti, et in mare projecti. Id ei evenit, cum Dion Syracusana imperiam ejus invasit. Ipse demum cæcutiens, privatus sedit in tonstrinis, risum scurriliter hominibus commovens, et in media Græcia turpiter versatus, miseram vitam duxit; atque ut alii scribunt, iterum quod antea fuerat, ludimagister factus est. Plutarchus in Dione refert, qua fortuna regno a Dione exutus sit. Cum enim Dionysius cum octoginta navibus abesset in Italia, Dion Syracusas cum classe movit. Cujus rei nuntius mittitur ad Dionysium. Nuntius in via assatæ carnis frustum a quodam acceperat, et peræ suæ alligarat: qui cum noctu in silva paululum requiescere vellet, peram juxta se disposuit. Eo dormiente

lupus carnem odoratus, abstulit una cum pera et inclusa epistola. Ergo ubi evigilavit, et peram abesse vidit, non ausus ad Dionysium pergere, epistola perditâ, fugam inivit: sicque, nesciente Dionysio, regnum ejus a Dione occupatum est. En fortunæ rotam. Bene igitur Sapiens, Proverb. I. dixit: *Prosperitas stultorum perdet eos,* qui scilicet uti fortuna sua nesciunt.

Secundo, quia in prosperis facilius Deum obliviscimur, quomodo Pharaonis pincerna, succedentibus rebus secundis, oblitus est Josephi OEdipi sui, Gen. XL. Facilius etiam insolescimus et limites moderationis egredimur, indeque in pericula incidimus, quemadmodum limaces, quando humore aliquo cœlesti in se delapso exeunt e domunculis suis in vias publicas, ibique pedibus transeuntium proteruntur. Ita Nabuchodonosor post victoriam de Medorum rege Arphaxad obtentam nimium elatus, voluit omnes reges sibi subjugare, Judith, c. I. Suave quidem et jucundum est iter per mare, sed periculosum: vicissim molestum et laboriosum iter per terram, sed multo interim securius. Unde S. Bernardus, serm. de obitu Malach. *Nemo,* inquit, *nostrum, charissimi, plana mollioris viæ superficie delectatus, iter illud marinum sibi commodius arbitretur.*

Tertio, quia forsitan hic tam bene habentur, quod in altero sæculo nihil habituri sint nisi miseras et pœnas. Timeant ergo ne sint oves ad pingua pascua ductæ, destinatæ ad macellum; quod indicant impii, Sapient. II. *Coronemur nos rosas, antequam marcescant: nullum pratium sit, quod non pertranseat luxuria nostra: ubique relinquamus signa lætitiæ; quoniam hæc est pars nostra,* quasi dicant: Aliam non expectamus. Et confirmat Abraham epuloni dicens: *Memento fili, quia recepisti bona in vita tua, etc.* Theramenes cum in quadam domo versatus, inde prodisset, illa subito lapsu corruit: atque cum Athenienses alii aliunde ad eum confluerent, et inopinatæ salutis congratularentur, illæ præter omnium opinionem respondit: *Jupiter, cuiam me temporis reservas? Nec multo post a triginta tyrannis de medio sublatus est, coactus cicutam bibere, Ælianus, libro IX. var. histor. capite XXI. Cogitet etiam qui hic bene semper habetur, ne æternæ infelicitati reservetur: expavescat, cum res prospere eunt. Ita monet Sanctus Gregorius Magnus, hom. XL. in evang. « Si quis est, inquit, qui in hoc mundo exterioris boni aliquid accepisti, ipsum, ut ita dicam, donum exterius pertimescere debetis, ne vobis pro quorundam vestrorum actuum recompensatione sit datum, etc. »*

Vicissim qui in sinistra sedent, non dejiciantur,

sed bene sperent. Primo, facile mutari posse fortunam, ut cras ad dexteram transeant. Soldamus quidam a rege Franciæ Ludovico II. Capuam captivus abductus, cum toto biennio non risisset, tandem aliquando ridere visus, causam regi interrogatus, hanc dedit: « Currum contemplabar ejusque rotas, ut earum aliæ partes in imum, aliæ in summum obverterentur, neque hanc inconstantis hominum felicitatis imaginem sentiens, risi, quod in mentem mihi veniret, posse fieri ut quomodo ex summo infimus factus sum, ita ex humili rursum loco ad prius atollar fastigium. » Quo audito rex de suo quoque statu cogitans, Soldanum virum judicans sapientem, libere secum versari permisit, Zonaras, tom. III. annal. Cedrenus et Glycas. Ludovicus XII. Franciæ rex delectabatur symbolo crateris illius cœlestis, qui aureis radiis refulgens, inter eclipses oritur, hac inscriptione: *Inter eclipses orior,* Caussin. in aula sancta. Contigit id inter alios Jacob patriarchæ, cui postquam subtractum esset quidquid dilexerat, Rachel, Joseph, Benjamin; tum ecce adfertur ei nuntium lætissimum: *Joseph filius tuus vivit: at ipse dominatur in omni terra Ægypti.* Sic revixit spiritus ejus, Genes. XLV. sic inter eclipses ortus est.

Secundo, licet in sinistra per hanc vitam hæreant, consolentur se spe felicitatis, quam in altera vita accipient, quia in hac nullam habuerunt. Ita S. Basilus, hom. XIII. in Psalm. XLVIII. « Ne sis pusillanimis erga præsentia, inquit, sed expecta beatam illam et perpetuam vitam; videbis enim tunc, quod in commodum justo datur paupertas, ignominia, et privatio deliciarum, etc. » Hac ratione Job in sinistra gestatus se consolabatur: *Cunctis diebus, quibus nunc milito, inquit, expecto, donec veniat immutatio mea.* Abraham dedit filiis concubinarum, id est, servilium conjugum, munera, mobilia scilicet bona, aurum, argentum, vestes, etc. Sed vicissim Isaaco filio Saræ dedit cuncta quæ possederat, hoc est, mobilia et vinculata bona, seu jus majoratus, tamquam hæredi totius substantiæ suæ, Gen. XXV. Cogitent hi se filios Saræ, illos vero filios concubinarum esse.

III. Qui in dextera sedent, moderate utantur fortuna sua, non se dedant deliciis, non profluant voluptatibus, ne iis inviscati, hæreant captivi, sicut muscæ, cum vasi melle pleno insident: delibent potius moderate fortunam suam, ut semper avolare ad Deum et animæ curam possint, juxta id Prov. XXV. *Mel invenisti; comede quod sufficit tibi, ne forte satiatus evomas illud.* Satietas enim mellis nauseam parit. Novimus sub Gedeone duce, jussu Dei reprobatis a militia eos, qui

proni ad bibendum e flumine procubuerunt, seque proluerunt; electos e contra illos, qui stantes manu aquam ad eos projecerunt, et velut canes e Nilo obiter ac moderate biberunt, Judic. VII. Priores imitantur, qui suis cupiditatibus fræna laxant, semper in conviviis hærent, semper in bysso et purpura incedunt, et dormiunt in lectis eburneis, ad instar illius epulonis, qui epulabatur quotidie splendide, quotidie vestiebatur purpura et bysso, nihil unquam remisit, aut dedit pauperibus: ideo periit miser. Jactant illi se provinciarum columnen et defensores esse. Verum deliciis assueti, nec arma tractare, nec quidem pro patria defendenda sustinere possunt. In hac dextera perversus est Salomon, dum omnia sibi comparavit, quæ desideravit cor ejus; sicque scidit et perdidit regnum suum in deliciis et pace, quod pater ejus pararat et servarat in persecutione et bello: sic periit Romani in deliciis, qui crevere in paupertate, laboribus ac militia; teste Livio, lib. I. dec. I.

Vicissim qui in sinistra sedent, patienter ferant sortem suam, et cogitent primo, se forsitan eam promeruisse; id quod indicat Deus, Jer. IV. populo Hebræorum, prævaricatori: *Vitæ tuæ et cogitationes tuæ fecerunt tibi hæc;* ut scilicet a Chaldæis tam arcte obsidereris. Bene in apologo, conquerentibus de securi, a qua tot exciderentur, arboribus, dixit una: *Quid querimus, cum nos ei porrigamus manubrium? Pari modo infelices, quid queruntur contra Dei iram et severitatem, cum ei manubrium dent, peccatum? Descendant cum nautis illis tempestate jactatis, Jon. I. ad interiora navis, hoc est, in conscientiam suam, et invenient ibi Jonam, tempestatis suæ causam. Aperiant cum fratribus Josephi saccos suos, et invenient scyphum alienum, persecutionis causam: tunc dicent: Merito hæc patimur, Gen. XLII. deinde, Deum, velut optimum patrem, prævidisse quid unicuique conducat; sicut mater uni filio fortioris stomachi permittit poma, pira, cerasa, etc. quæ alteri debiliores stomachi filio negat: sic medicus uni infirmo permittit vinum et carnes, alteri prohibet, et illorum loco dat amaras potiones, etc. Quod si hic queratur contra medicum, ille respondebit: Poteris quidem, si velis etiam vino et carnibus uti, sed ad tuam perniciem. Novit Deus pauperes, ægros et plebeios homines ad meliorem fortunam ferendam idoneos esse, in eaque facile perituros: unde sinistram illis dedit. Exemplo sunt Hebræi, qui in captivitate positi, unum Deum verum invocabant: in patria vero sua variorum sæpe deorum opem implorabant. Exemplo est domus illa pauperum, in vita S. Antonini, quæ postquam ab Antonino ditata*

fait, mox perversa fuit. Tertio, nesciunt etiam plerumque pauperes uti rebus prosperis, ut in vita Sancti Columbæ presbyteri c. Scoti scribit miro prorsus, non tamen incredibili exemplo Adamannus abbas Huensis, apud Surium 9. junii, c. XXIV. his verbis: « Alio in tempore quidam ad sanctum plebeius venit pauperrimus, qui in ea habitabat regione, qua stagni littoribus Aporici est contermina. Huic ergo miserabili viro, qui inde maritam et parvulos cibaret, non habebat, vir beatus petenti miseratus, ut potuit, quamdam largitus eleemosynam, ait: Miselle homuncio, tolle de silva contulum vicina, et ad me citius defer. Obsecundans miser juxta sancti justificationem, detulit materiam, quam sanctus excipiens, in veru exacuit, quodque propria exacuminans manu benedicens, et alii adsignans inopi, dixit: Hoc veru diligenter custodi, quod, ut credo, nec homini, nec alicui pecori nocere poterit, exceptis feris bestiis quoque et piscibus. Et quamdiu talem habueris sudem, nunquam in domo tua cervinæ carnis cibatio deerit abundans. Quod audiens miser mendiculus valde gavisus, domum revertitur, veruque in remotis terræ infixio locis, quæ silvestres frequentabant feræ, et vicina transacta nocte, mane primo pergit, revisitare volens veru, in quo miræ magnitudinis cervum cecidisse reperit transmissum. Quid plura? Nulla, ut nobis traditum est, transire poterat dies, qua non aut cervum, aut aliquam reperiret in veru infixio cecidisse bestiam, repleta quoque tota de ferinis carnibus domo, vicinis superflua vendebat, quæ hospitium suæ domus capere non poterant. Sed tamen diaboli invidia per sociam, ut Adam, et hunc etiam miserum invenit, quæ non quasi prudens, sed fatua taliter ad maritum locuta est: Tolle de terra veru. Nam si in eo homines, aut etiam pecora perierint, tu et ipse, et ego cum liberis nostris aut occidemur, aut captivi docemur. Ad hæc maritus inquit: Non ita fiet. Nam sanctus vir mihi benedicens sudem, dixit, quod nunquam hominibus, aut etiam pecoribus nocebit. Post hæc

verba mendicus uxori consentiens, pergit, et tollit de terra veru, inter domum quasi amans illud secus parietem posuit, in quo mox domesticus ejus incidens canis disperiit. Quo pereunte, rursum marita: Unus, ait, filiorum tuorum incidet in sudem, et peribit. Quo audito ejus verbo, maritus veru de pariete removens, ad silvam portat, et in densioribus infixit dumis, ut putabat, ubi a nullo possit animante offendi: sed postera reversus die, capream in eo cecidisse et periisse reperit. Inde quoque illud removens in fluvio, qui Latine potest dici Negra dea, juxta ripam sub aquis abscondens, infixit. Quod alia revisitans die, esocem miræ magnitudinis in eo transfixum et retentum invenit, quem de flumine elevans, vix solus ad domum reportare poterat: veruque secum de aqua simul reportans, extrinsecus in superiore tecti affixit loco, in qua et corvus de volatu impetu lapsus, disperiit jugulatus. Quo facto miser fatuæ consilio conjugis depravatus, veru tollens de tecto, assumpta securi, in plures concidens particulas, in ignem projecit, et postea quasi suæ paupertatis amisso non mediocri solatio, remedicare, ut meritus, cœpit. Quod videlicet penuriæ rerum solamen sæpe superius in veru memorato dependebat, quod pro pedicis et retibus, et omni venationis et piscationis genere servatum posset sufficere, beati viri donatum benedictione, quodque amissum miser plebeius eo ditatus pro tempore ipse cum tota familiola, sero licet, omnibus de cætero deplanxit reliquis diebus vitæ. » Patet hinc egenos plerumque impotentes esse ad ferendam fortunam ditiores, ideoque eam illis consulto negari a Deo, quomodo militiæ dux dat unicuique arma, quæ quis ferre potest. Et hoc est, quod Dominus dicit Matth. XXV. data unicuique servo talenta: *Secundum propriam virtutem*. Quare bene apostolus, II. Corinthiorum VI. ait: *Exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros per arma justitiæ a dextris et a sinistris*. Potens est enim Anna, id est, gratia Dei, in utroque brachio sustinere nos et ad cælum deportare, si nobis ipsi non defuerimus.

IN FESTO SANCTI LAURENTII.

EVANGELIUM. JOANNIS XII.

In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis: Amen dico vobis, nisi granum fumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animam suam, perdit eam: et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Si quis mihi ministraverit, me sequatur: et ubi sum ego, illic et minister meus erit. Si quis mihi ministraverit honorificabit eum Pater meus.

CONCIONES.

- I. Fructus eleemosynæ.
- II. Decem tituli, quibus homo ad serviendum Deo obstrictus est.
- III. Servitus Dei qua in re consistat.
- IV. Quomodo Christus et Laurentius granum frumenti fuerit, et quivis Christianus esse debeat.
- V. Lauro comparatur Laurentius.
- VI. Laurentii ignis nobis salutaris.

- VII. Quomodo odisse oportet se et sua.
- VIII. Documenta.

CONCIONES AUCTARII.

- I. Laurentius vere urbanus et aulicus Hispanus.
- II. Servire Deo optimum.
- III. Eleemosyna commendatur.
- IV. Dilectissima quæque odio habenda, cum a cælo nos impediunt.
- V. Laurentii craticula, lectus nobilissimus.

CONCIO I.

FRUCTUS ELEEMOSYNÆ.

- I. Mundat a peccatis. — II. Gloriam parit. — III. Fiduciam præbet coram Deo. — IV. Vitam æternam meretur. — V. Iram Dei exarmat. — VI. Bonis temporalibus auget.

THEMA.

Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Joan. XII.

Hoc granum frumenti, quod Dominus sibi comparabat in hoc evang. hoc idem comparat apostol. II. Cor. IX. eleemosynæ, cum de ea loquens ait: *Qui parce seminat, parce et metet: et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet.* Optime dixit magister, optime discipulus. Granum frumenti Christus est, quia nisi in terram sepultura cadens mortuus fuisset, solus ipse mansisset, homines non redemisset: quando vero mortuus est, multum fructum attulit. Granum frumenti etiam annona est, quia nisi in sinum pauperum mittatur, ipsa sola manet, imo tandem a vermibus corroditur et avolat: jactata vero

in sinum pauperum, multum fructum affert. Audiamus S. Basilium, orat. in divid. « Quomodum frumentum in terram cadens, lucrum projicienti parit (inquit,) sic et panis in esurientem projectus multam in posterum tibi reddit utilitatem. » Hoc frumentum S. Laurent. in terram jecit, cum thesauros Ecclesiæ sibi creditos jussu Xysti pont. ante martyrium pauperibus divisit, propter quod Ecclesiæ de illo canit: *Dispersit et dedit pauperibus*. Quare pauperum sinus per terram Palæstinam designatus videtur, Genes. XXVI. *Sevit enim Isaac in terra illa, et invenit in ipso anno centuplum: benedixitque ei Dominus; et locupletatus est homo, et ibat proficiens et succrescens, donec magnus vehementer effectus.* Nunquam legitur alia terra fuisse tam fertilis; nec fertilior est mundo præterquam sinus pauperum. Jam igitur si agricolæ terram illam maxime percolunt, quæ fertilissima est: ita et nos terram pauperum libentius exculturos spero, si, quantos ea fructus afferat, perspeximus.

Fructus eleemosynæ non absimiles sunt iis, quos peperit Christi mors.

I. Christus morte sua filios suos nos videlicet omnes vivificavit, et a peccatis mundavit. Hoc facit etiam eleemosyna, teste Raphaele, Tob. XII.